

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1247

**Auteur(s) :** Garnier Lespec, « civis » de Bayeux [autre]

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1264, mars

**Lieu d'émission :** Bayeux

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Garnier Lespec, bourgeois de Bayeux, donne en pure et perpétuelle aumône et garantit au chapitre de Bayeux une rente annuelle de 15 sous tournois sur une mesure à Bayeux : le chapitre lui verse 9 livres tournois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXI, t. 2, p. 201-203.

## Dissertation critique

Mars 1264 est proposé par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, qui sunt et qui venturi sunt, quod ego Garnerus Lespec, civis Baiocensis, pro salute animæ meæ et omnium antecessorum meorum, dedi et concessi, in puram et perpetuam elemosinam, Deo et ecclesiæ Baiocensi, ad usum capellani deputati ad celebrandam cotidie missam in dicta ecclesia, pro animabus bonæ memoriarum Guidonis, quondam episcopi, et Hugonis quondam cantoris Baiocensium, quindecim solidos Turonenses annui redditus, quos percipiebam singulis annis in quadam masura, quæ quondam fuit Roberti Gaudias, et in parte petrini, siti retro masuram illam : quæ quidem masura et pars dicti petrini sitæ sunt in parrochia Sancti Machuti Baiocensis, inter masuagium quod tenetur de Johanne Gaudias, ex una parte, et masuagium Rogeri de Sancto Laudo, ex altera. Videlicet, septem solidos Turonenses et sex Turonenses ad Nativitatem sancti Johannis Baptistæ, et septem solidos et sex denarios Turonenses ad Natale Domini : tenendos et habendos dictos quindecim solidos, et tanquam puram et perpetuam elemosinam possidendos, dictæ ecclesiæ ad usum dicti capellani et successorum ejus in dicta capellaria, sine aliqua exactione, et sine reclamatione aliqua mei vel hæredum meorum, cum omni jure et dangerio quod habebam seu habere poteram in dictis masura et parte petrini, prout in cartis dicti Roberti, super hoc confessis, plenius continetur. Ego autem Garnerus et mei hæredes dictos quindecim solidos Turonenses, tanquam puram et perpetuam elemosinam, tenemur garantizare dictis ecclesiæ, capellano, et ejus successoribus in dicta capellaria, et contra omnes defendere, vel, si non possemus garantizare seu defendere, tantumdem redditus eisdem assignare in mea domo lapidea quam habeo in Franco Vico teneremur: quam quidem domum de cetero ego vel mei hæredes non possumus alienare, seu aliquo redditu honerare, quin ecclesia et capellanus in ea possint habere et percipere dictum excambium prædictorum quindecim solidorum Turonensium, quotienscumque fuerit necesse. Et pro hiis

garantizatione, et excambiatione facienda, si necesse fuerit, ecclesiæ et capellano prædictis idem capellanus, de bonis dictæ ecclesiæ, mihi dedit novem libras Turonenses in pecunia numerata. Et, ut hoc sit firmum et stabile in perpetuum, præsentem cartam sigilli mei munimine confirmavi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tercio, mense martis, coram parrochia Sancti Machuti.